

DE TERRA OPHIR
DISSERIT,
ET SIMVL
VIRO NOBILISSIMO, DOCTISSIMO, ET CLARISSIMO,
**GOTOFREDO CHRISTOPHORO
BECKIO,**
GERINGSWALD.
S. TH. CVLT. INDEFESSO,
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES,
QVOS
PRIDIE KAL. MAII. A. R. S. CLIO IO CCXXXVII.
AB
AMPLISSIMO SAPIENTVM VITEBERGENSIVM ORDINE,
RITE ET DIGNE CONSEQVEBATVR,
SVO, ET EORVM, NOMINE,
QVI SVB PRAESIDIO
DN. IOH. CHRISTIANI HEBENSTREITII,
S. S. TH. D. ET LINGVAE S. P. P. O.
DE LIBRIS ECCLESIAE NOSTRAE SYMBOLICIS
DISPVtant,
ANIMITVS GRATVLATVR
M. SAM. AVG. IVNGHANS,
STOLBERG. MISN.

LIPSIAE, LITERIS LANGENHEMIANIS.

Coll. diss. A
185, 9

Hy. A. 185 (9.1)

~~17.~~ ~~18.~~ ~~19.~~



ussu et auctoritate illorum, qui vna *Tecum*,
V. C. et D. auctoritatem librorum eccle-
siae nostrae symbolicorum, in priuatis
exercitationibus disputatoriis, defendere
solent, *Te, Magistri* titulo insignitum, piis
votis excipiam, hacque occasione aere
illo alieno, quod ante semestre contraxi,
me soluam. Diu autem multumque de-
liberans, cuinam materiae praesentem meam opellam dicarem,
demum nonnulla de *Terra Ophir*, et imprimis de eius situ, dis-
ferere decreui. Equidem me non latet, haud paucos, eosdem-
que viros doctissimos ac peritissimos, idem hoc argumentum
nunc fuisse α) pertractasse, nunc breuiter strictimque, pro insti-
tuti ratione, attigisse; β) ego tamen me neutiquam operam o-
mnem perditurum esse existimaui, si tantorum Virorum vesti-
giis insisterem, sedulo cauens, ne iliada post Homerum, (quod in
prouerbio dicitur) scriberem, et cramben bis saepiusque co-
ctam lectoribus propinarem. Vocem Ebraeam אֹפִיר cui אֹפִיר
Ier. X. v. 9. respondere videtur, γ) diuersimode graeci scripto-
res exhibent. LXX. habent $\sigma\omega\phi\iota\rho$, δ) $\sigma\alpha\phi\iota\rho$, ϵ) et $\sigma\omega\phi\iota\rho\alpha$, ζ) *Orige-
nes*

- α) Vt ex ingenti eorum numero saltem aliquos commemorem, v. c.
Adr. Relandum in pec. diss. de *Ophir*. P. I. diss. misc. p. 165. seq. *Dan. Huë-
tium* in diss. de *Nauigationibus Salomonis*, quae criticis sacris subiecta
est. *Pfeifferum* in *dub. vexat.* SS. Cent. II. L. LXXXV. p. 494. et Cent.
III. L. XVI. p. 532. *Calouium* in *Bibl. illustr.* ad 3. Reg. X. *Hofmannum* in
Lexico vniuers. in voce *Ophir*. *Happelium* in *Asiat.* *Onogambo* L. I. p.
163. aliosque, quos in his laudatis scriptoribus citatos deprehendes.
- β) Pertinent huc illi omnes, qui descriptiones orbis antiqui, et comment.
in L. L. Reg. et Paralip. ediderunt, vel de rebus a Salomone gestis ex-
posuerunt, inter quos facile primus est *Pineda*.
- γ) videtur ita *Nicol. Samsoni* in *Ind. Geograph.* p. 83. edit. Cler.
- δ) Iob. XXVIII. v. 16. ϵ) 3. Reg. X. v. 11. et 2. Paral. IX. v. 10. ζ) 3. Reg. IX. v. 28.



nes σωφειρε, η) Hesy chius σαφειρε, θ) et Iosephus σωφειρα. ι) Vt inde ab originibus huius vocis exordiar, communissima haec est virorum doctorum sententia, quod nomen ab Ophiro, Ioctanis filio, Eberi nepote, cuius Gen. X. v. 29. mentio fit, acceperit. Erant huic Ioctani tredecim filii, quos inter hi duo, Ophir et Heuila, facile eminent, quod primi Indiae Orientalis conditores perhibentur. Hanc enim felicitis Asiae partem, quae nostris temporibus India appellatur, hi duo fratres, ductum fluminis Gangis secuti, ita inter se diuiserunt, vt terrae portionem intra Gangem sitam Heuila sibi vindicaret, Ophir autem extra Gangem pedem figeret. Vterque tamen, quam occupauit, terram nomine suo insigniuit, quam nominis impositionem primis temporibus, maxime in usu fuisse, ex Hieronymo in primis Hofmannus κ) testatur. Duplex autem Dappero λ) dicitur Ophir, altera regio Arabica, Aufar, prope Sabaeorum fines; altera Indica: et Bochartus μ) priorem, Arabicam scilicet, Dauidis Ophir, ex I. Paralip XXIX. v. 4. posteriorem Indicam, Salomonis Ophir, fuisse affirmat. De posteriori, de eo nempe terrarum tractu, in quem Salomo naues abire iussit, in praesenti agere constitui.

Enarratur autem haec Salomonis expeditio 3. Reg. IX. v. 26. seq. X. v. II. 14. 2. Paralip. VIII. v. 18. IX. v. 10. 13. 21. Ex his codicis sacri locis colligere licet, terram hanc, quae Ophir appellatur, non solum fertilissimam, sed et a Palaestina fuisse remotiorem. Fertilissima merito dicitur, id quod res rarae ac pretiosae, Salomoni inde allatae, *ingens auri, argenti, gemmarumque, numerus*, שְׁנַתְּפִימָה dentes Elephantum ν) seu ebor, קופים simiae, ξ) תְּכֵימָה pauones seu psittaci, ο) et עֵצֵי אֶלְמָגִי ligna thyi-

η) ad Iob. XXII. v. 24. θ) in lex. cui dicitur Ophir χώρα, ἐν ἣ ὁ πολύτιμοι λίθοι, καὶ ὁ χρυσὸς, ἐν Ἰνδία. ι) antiq. Iud. L. VIII. Cap. II. edit. Col. p. 271. κ) in lex. vniuers. T. II. l. c. λ) in *descript. Asiae*, et *spec. Mesop. Babyl. Assyrr. et Arab.* p. 357. μ) L. II. Geogr. S. c. 27. T. II. Op. col. 137. edit. Leusden. ν) ita enim Targ. שֵׁן דְּפִיל dens elephanti not. Buxtorf. in Lex. p. 832. ξ) conf. Calou. in *Bibl. illustr.* ad 3. Reg. X. v. 25. ο) in duas abeunt interpretes sententias, alii pauones, alii psittacos, intel-

zbyina seu *ebeni* π) abunde testantur. Quod vero a Palae-
 na fuerit remotior, inde liquet, quia tertio demum naues re-
 dierunt anno. 2 Paral. IX. v. 21. Si autem quaeramus de *situ fe-*
licis huius Ophir, viri docti non una, sed variis respondent lin-
 guis, alii *Asiae*, alii *Africae*, alii *Americae*, vindicantes. Inter tot
 sententiarum diuortia difficile omnino est, alteram alteri prae-
 ferre, tutissimamque seligere, praesertim, quum vnusquisque
 suae, quam fouit, sententiae peculiarem conciliare auctoritatem,
 et non leue addere pondus, studuerit. Meo tamen, si quod
 est, iudicio, illi tutissima incedunt via, qui *Ophir in Asia quae-*
runt. Hi ipsi autem nonnihil inter se discrepant. Ita enim *A-*
nania ε) *Malaccam*, *Bochartus* σ) *insulam Taprobanam*, quae nunc
Ceylon vel *Zeilan* audit; *Maffaeus* τ) *Pegusianum tractum*; *Eu-*
sebius υ) *insulam Vrphen in mari rubro sitam*; *Relandus* φ) et
Grotius χ) *agrum ad urbem Sophar*; et alii aliam regionem s. in-
 sulam, pro *Ophir* habent. Maxime tamen illorum arridet sen-
 ten-

ligentes, quibus posterioribus et ego subscribere malim. Fuerunt enim
 sine dubio illae aues, quas ad imitandum humanae vocis sonum docī-
 les fuisse testatur *Curtius* L. VIII. c. IX.

π) legitur etiam literis transpositis אֶלְגָּמִים 2 Paral. II. v. 7. Fuerunt
 praestantissima *cedrorum* genera. Nam, quod alii volunt, *corallia* de-
 signari, corrui, si cogitemus, cui vsui ista ligna fuerint dicata.

ε) in tr. de fabr. mundi.

σ) L. II. *Geogr. S. l. c.* vrget inprimis ex 2 Paral. III. v. 16. זָהָב פְּרוֹן
aurum paruaiim, hoc ducit a פְּרוֹן quod et *provan* legi possit et praepo-
 nit, פְּרוֹן littus, inde *Taprobanam* ortam esse dicit. Ingeniosam esse hanc
 deductionem fateor; conf. *Gurtlerus* in *Orig. mundi* L. I. Cap. III. §. 12.
 et *Cell. notit. orb. antiqu.* L. III. c. XXIII. p. 874. *Bocharto* adstipulatur
Clericus ad 3. Reg. X. τ) *Hist. Ind.* L. I. p. 37. L. X. p. 302. L. XVI. p. 755.

υ) L. IX. de *praepar. Euang.* c. XXX. p. 447. edit *Franc. Vigeri*. Vrget in-
 primis cognationem inter *Ophir* et *Vrphen*. Sed nominis cognatio non
 sufficit; nec opus fuisset tam diuturna nauigatione, si naues ad insulam
 propinquam maris rubri excurrissent.

φ) in supra laudata disp. de *Ophir*.

χ) in annot. ad 3. Reg. IX. v. 28.

tentia, qui Indiam omnem, extra Gangem sitam, Chersonesum quippe auream, Pegusianum tractum, Bengalam, et reliquas finitimas terras, insulasque, intelligi volunt. Praestans est, quod Hofmannus ψ) exhibet, Lipenii iudicium: „nobis, si plurimas amoliri velimus difficultates, Ophir non in vna alteraque insula, aut regione, esse coarctandum, sed auream Chersonesum Iosephi, cum ampliatione, etiam in conterminis insulis, terrisque continentibus, Sumatra, Malacca, Siam, Pegu, et Bengala, esse constituentam.„ Fauent huic τ) Ophir acceptioni Iosephus, ω) Calouius, α) Pfeifferus, β) Buddeus, γ) Leydeckerus, δ) alique plures, quos nominatim in his, qui a me excitati sunt, auctoribus reperies. Vt vero dictis fidem faciam, et, quam amplexus sum, sententiam tuear, primo loco ad ea redeo, quae supra de originibus Ophir attuli, quod Ophiro, Iocitanis filio, nomen et ortum debeat. Cum enim inter plurimos fere, ceu satis euictum, constet, ϵ) Heuilam, quam frater Ophiri condidit, et nomine suo insigniuit, alteram Indiae partem, intra Gangem sitam, complecti, pari iure, altera, extra fluuium sita, Indiae pars Ophir appellari potuit. Si porro perpendamus, classem Salomonis e portu urbis Eziongeber, seu Afiongeber, abiisse, 3 Reg. IX. v. 26. facilius omnino fuit cursum eius in Asiam, quam in Africam, aut Americam. Praeterea, quod maxime huc facit, India illis rebus abundat, quae Salomoni allatae dicuntur. Quaeris aurum, argentum, et gemmas, hic affatim inuenies, Plinio, ζ) Solino, η) Mela, θ) et Curtio, ι) testibus. Profert ebum, id quod idem Plinius, κ) et Dioscorides, λ) affirmant. Alit pavos seu psittacos, vti Curtius, μ) et Plinius

- ψ) in *lex. vniuers.* l. c. ω) qui in *antiq. Iud.* l. c. χ ερσονήν γῆν, i. e. auream terram, appellat, quae postea a Ptolemaeo aurea Chersonesus dicta est.
- α) in *Bibl. illustr.* l. c. β) *Dubia vex.* l. c.
- γ) *Hist. Eccles.* V. T. T. II. Per. II. sect. IV. p. 331.
- δ) *de vario reip. Ebr. statu* L. I. C. IV. p. 49.
- ϵ) *conf. Gurtl. et Cell.* l. c. ζ) *Hist. Nat.* L. VI. Cap. XIX. et XX.
- η) C. LV. θ) *de Situ Orbis* L. III. C. VII. p. 59. ι) L. VIII. C. IX.
- κ) *H. N.* l. c. λ) *L. L. C.* XIV. μ) l. c.

nus, v) recensent. Reperiuntur ibidem *elephantes*, Diodoro Sic. ζ) et *simiae*, Philostr. o) testantibus. Addam testimonium Cluveri, π) qui non solum *Indiam auro argentoque foecundam* dicit, ut solum eius *argenteum aureumque veteres crediderint*, e) sed etiam inter *varia nationum genera, quae ibi reperta sint, Ebraeos recenset*. Forte non immerito hos Ebraeos illorum posteros dixeris, quos Salomo eo misit, ut curam rerum metallicarum gererent.

Si e contrario illorum dispicias et examines sententias, qui Ophir vel in Africa vel in America quaerunt, plura omnino dubia ac incommoda in iisdem deprehendes. Ut eos primos in scenam producam, qui in Africa Ophir collocant, hi itidem in eo a se inuicem distant, quatenam Africae portio commodissime intelligi possit et debeat. Nam, ut illos taceam, qui Carthaginem, (quae tamen diu post Salomonis tempora exstructa est,) supponunt, illos tantum commemorabo, qui nunc in extrema ora maritima, versus Orientem, v. g. Huetius, σ) Morerus, τ) et Nibufius; υ) nunc in Angola, ut Corn. a lapide; φ) nunc in Sophala s. Ceffala, cum Hubnero, χ) quaerunt, quos Hofmannus et Happelius l. c. exhibent. Verum enim vero hac ratione terra Ophir Palaestinae multo vicinior fuisset, quam ut Salomonea classis trienniali itinere opus habuisset. Deinde, uti Buddens ψ) bene annotauit, licet in his Africae regionibus insignis argenti, auri, gemmarumque copia detur, desunt tamen simiae, et pauones, s. si mauis, psittaci, certe rarissime deprehenduntur; ebenus autem profusus

v) L. VII. Cap. 21. L. IX. C. 35.

ζ) L. II. Bibl. Hist. p. 89.

o) in Vita Apollon. l. III. C. XV. p. 106.

π) in Introd. Geogr. L. V. C. 8.

e) cum eo egregie consentit Pomp. Mela l. c. ita scribens: *Ad Tamum insula est Chryse, ad Gangem Argyre, altera aurei soli, (ita veteres tradidere,) altera argentei.*

σ) in iam laudata disp.

τ) in dictionaire historique T. II. in voce Ophir p. 781. ita scribens: *Il y a plus d' apparence, que ce pais étoit sur la côte d' Afrique.*

υ) in Tr. Chorogr. p. 85.

φ) ad. Ier. X.

χ) Geogr. T. II. p. 649.

ψ) H. E. V. T. II. c.

(non

non hic locum habet, quae teste *Dioscoride* ω) tantum in Arabia et India occurrit.

Restant illi, qui *Americanam* pro *Ophir* habent non minus in diuersas abeuntes sententias. Alii enim in *Hispaniola*, vti *Genebrardus* α) et *Zwingerus*; β) alii in *Peruana* regione, vti *Arias Montanus*, γ) nixus in primis metathesi literarum *Cabbalistica*, *Franzius*, δ) *Schmidius*, ε) et alii plures, quos *Pfeifferus*, *Calouius*, et *Happelius* l. c. in scenam producunt; alii in *Peruano* et *Mexicano tractu* coniunctim sumto, quos non minus apud iam laudatos auctores nominatim inuenies; alii denique in *insula veterum Atlantica*, quae terminus inter orbem antiquum et nouum fuisse creditur, vti *Hubnerus*, ζ) collocarunt. Ne de illis dicam, qui classem hanc *Salomonis* ad illas vsque excurrisse *insulas prope Guineam nouam*, quae ab illustrissimo hoc rege nomen sortitae sunt, quas num ad *Asiam*, an ad *Americanam*, referant, *Geographi* dubii haerent. Non multus ero in afferendis et recensendis argumentis, quibus viri docti, prae reliquis autem *Calouius*, *Pfeifferus*, *Buddeus*, et *Cornelius a lapide*, hanc aggressi sunt et infirmarunt sententiam. Duo tantum, *palmaria* certe, iam mea faciam. Si enim primo perpendamus, caruisse tunc nautas vsu acus magneticae, et cursum nauis poli, stellarumque polarium, ductu emensos esse: Si porro consideremus, vniuersam *Africam* fuisse illis circumuehendam, antequam in *America* appellere potuerint, vix probabile est, *Salomonem*, regem sapientissimum, tam longinquam susce-

ω) qui l. c. inquit: Ἐβενος κρατίστη αἰθιοπικὴ, καὶ μέλαινα; Ἐστὶ δὲ τις καὶ Ἰνδικὴ, ἔχουσα διαφύσεις λευκὰς καὶ κίτρινὰς, καὶ σπίλῃς ὁμοίως πυκνὰς. h. e. *Probatissima ebenus est aethiopica et nigra; est et alia ebenus Indica, candidis et rutilis, intercurrentibus lineis, similibusque crebris maculis.* α) in *Chronol* ad A. M. 3150. β) in *Theatr Vit.* Vol. 23. L. II. p. 3969. γ) id quod de eo *Pfeifferus* in *Dub. Vex.* l. c. refert.

δ) in *Interpr.* S. S. p. 223.

ε) in *Orat. de America* *Pindaro* ipsius adiecta.

ζ) *Geogr.* T. II. p. 675.

pisse expeditionem, tantosque ei impendisse sumtus, praeser-
tim cum e propinquieribus ipsi terris easdem repetere potue-
rit opes, imo rariores, quam quae America subministrare
valet *n*).

Sed sufficient haec. Ad TE nunc conuertor, V. Cl. et
D. Amice iunctissime, cuius causa calamum arripui. Quod Sa-
lomo *θ*) de foemina virtutibus instructissima, affirmat, eam
commode et scite cum naue mercatoria conferri, rarissimas
aduehente merces, id non minori iure ad TE applicari posse
existimo. Contigit mihi vna TECVM almam coluisse Afram,
et nostram frequentare Lipsiam licet; adeoque me non latet,
quantas TIBI verae sapientiae, et virtutum eximiarum, con-
quisiueris diuitias. Exposuisti TVAS merces in examine
coram Amplissimo Sapientum Vitebergensium Ordine, quibus li-
maximopere delectati TE nouis honorum accessionibus cu-
mulatum nobis reddiderunt. Gratulor TIBI meo, et aestu-
matissimorum commilitonum, nomine, meritissimos, quos ad-
eptus es, honores, eosdemque summum Numen TIBI feli-
cissimos esse iubeat, animitus precor. Non possum non
maiores TIBI augurari honores, perge modo ea, qua coe-
pisti, via. Vale et faue.

n) defunt enim simiae, psittaci, ebenus, et ebur, vti ipse Iosephus Acosta
L. I. Cap. XIII. de Nat. Orb. noui refert, notante Buddeo H. E. l. c.

θ) Prou. XXXI. v. 14.



Coll. diss. A 185, misc. 9